



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Hortulus Biblico-Moralis Et Asceticus

Pappus von Tratzberg, Franz

Ulm, 1725

Doctrina 3. Desumpta ex capite 12. Genes. in quo describitur Abrahami evocatio, ejus Peregrinatio & Raptus Saræ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61252](#)

laborandum, ò quām lentā manu id negotii arripis? at quām celeri
pede volas, quam sedulā manu desudas, si pro obtainenda gloria &
laude hominum, pro impetranda quadam dignitate agitur?

Dòctrina 3.

*Desumpta ex capite 12. Genesij, in quo describitur Abrahami evocatio, ejus
Peregrinatio & Raptus Saræ,*

Considera: **Q**uod paribūs Verbīs, quibūs olīm Abrahamum è p[ro]p[ter]a N[ost]ro tria evocaverat Deus, quemlibet Christianum evo-
cet è perversa hujus Mundi vita. *Egredere de terra tua, inquiens, relin-
quendō si non corporis gressibūs; saltem mentis affectibus terrena &
transitoria bona, & veni per viam piæ Virtutis ad cœlestem Canaan.*
Inopiam, quam patieris in rebus temporalibus amore mei spretis,
aut in pauperes liberaliter distributis, refundetur uberrimā spiritua-
lium gratiarum & cœlestium consolationum segete. Quid ad h[ec]
& his similia vocanti Deo respondes? nōnne differs de die in diem
tam gratiosis obsequi mandatis? non tantū Abrahāmi mirabilē
exemplō ad celerem sequelam, quām Salomonicis minis instigatus:
*Non tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem: nam diutiūs
tardante te, citè veniet ira ejus.* Eccles. 5. H[ec] tremenda monita haud
dubie cordi ducens Zachaeus, ad primam Vocantis Magistri vocem
festinus descendit: didicit inde: divinam vocationem tam punctua-
lem esse, ut in p[er]uncto perdatur gratia, cui non in p[er]uncto morem
geramus: & hinc exclamat S. Ephrem Serm. 1, de poenitent. *Sen-
tis, quod ostium tibi apertum sit? festina priusquam occludatur: ignoras, quō
cœlestis medius ostium medicina sua clausurus sit, festina igitur, ut cureris.* La-
zarus defunctus inter obscuras sepulchri tenebras jam fœtens, vix ex-
ceperat vocem Christi, clamantis Joan. 11. Et statim prodiit, qui erat
mortuus. Èa celeritate mandatum exsequitur, ut ligatis adhuc pedi-
būs & manibūs, capiteque obvelatō se vocanti præsentem sisteret. Quæ-
so: cur non ante pedum ligamina abjecit? respondeat S. Chrysolo-
gus, timuisse Lazarum, ne aliquantulum cunctandō, vocantis gratiæ
foret injurius, & hinc in neglectæ observantia celeris poenam jacere
permitteretur in sepulchro, nunquam amplius resuscitandus. Miran-
dum plane, quod Sapiente teste Eccles. 3. divina Providentia omni-

C 2

bus

bus rebus certum tempus assignârit : *Omnia tempus habent.* Tempus effascendi, tempus moriendi, tempus plantandi, tempus evelendi &c. Nullum verò reperiatur tempus, quod determinatum sit divinæ vocationi, ut ei obsequamur? resolvit dubium S. Greg. Nazianz. dum asserit : ad opus tanti momenti, quod absque ulla expediendum morâ, nullum assignari posse tempus, ut nec per punctum trahatur mora, cum vocatio celebritate suâ ventos imitetur. Verba S. Doctoris sunt Orat. in Joan. *Tibi & belli & pacis tempus sit, atque omnis denique rei : at vero salutis tuae negotium semper ac sollicitè age.* Quàm multos reperi est modernò tempore Christianos, quos inter & tu forsan non postremus, qui vocati ad sanctiorem vitæ statum Hebreos imitantur, de quibus Sacra meminit Historia: eos Arcam fœderis deposuisse in Silo eâ mente & proposito, ut congruô tempore tantum thesaurum digniori locarent in sede. At quonam id factum tempore? an forte unô abinde anno, duobûs, aut tribûs? elapsi sunt scripturâ teste 3. Reg. 6. quadringenti octoginta anni, antequam manus admoveantur construendo Templi ædificio, adeoque jam in cineres considerant illi omnes, qui ante tot annos à Deo vocati fuerant, jussique, isthoc ædificare Templum. Et utinam non inter æternos ignes luant, tamdiu dilatam, tandemque omnino neglectam vocationem Dei! utinam exemplô illorum tu sapias, gerendô quantociùs morem divinæ voci! obsequi si volueris, aderit cœlestis gratia, auxiliô in omnibus tibi futura, sicut olim auxiliô fuerat obedienti Abrahæ, quem etiam inter barbaras manus Scripturâ testante salvum & integrum conservavit : licet summo vitæ periculo cum exposuerit raptæ uxoris Saræ pulchritudo.

Doctrina 4.

Desumpta ex cap. 13. lib. Genes. in quo describitur reditus Abrabæ ex Ægypto, separatio à Loth, seminis terræque illius facta Abrabæ promissio.

N.21. Considera 1. **Q**uomodo non tantum in bonis gratiæ, sed etiam in bonis fortunæ crescant homines, qui vocanti Deo obsequentes, se totos ejus servitiis consecrant, prout Abraham suo docuit exemplô: hic enim, qui summâ rerum omnium inopâ presus, paulò ante Ægyptum petierat, jam omni copiâ ditatus revertitur.
Proabantur